

sione. Et quid hoc erit coram Deo? Hinc merito Ecebolius toties relapsus ad infidelitatem, seipsum vocavit saltem infatuatum, omnium pedibus proculcandum; ideoque se pro foribus Ecclesiae projecit, orans ut reciperetur ad eam, Baronius, anno 362.

Deinde, turpe est, militibus ad primum conspectum, aut congressum cum hostibus arma abjicere et terga vertere. Sæpe enim tales milites mulctati et magnis notabantur infamiis, ut refert Maiol. tom. III. coll. II. Marcus Marcellus, ut refert Livius, publico edicto jussit omnes, qui in pugna amiserant vexilla, hordeo cibari, et cingulo spoliatos gladios in manibus gestare: Sempromius Gracchus milites, qui timidius rem gesserant, stando cibum sumere cogebat: Spartani, nemini, quicumque etiam foret, qui fuga sibi consuluisset uxorem ducere permittebant, imo cogebant dissecta varique coloris pallia gestare, semiraso vertice; permissum insuper cuivis eos percutere et molestare. Annon ergo similiter turpe est Christiano, postquam arma militiæ christianæ assumpsit, et fidem Christo supremo duci dedit, mox ad primam hostis tentationem fugere et manus dare? Annon de talibus merito dici potest, quod de Israelitis toties relabentibus ad desperationem et murmurationem, Psal. LXXVII. dictum est: *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.*

V. Continet maximam Dei offensionem: qui enim relabitur ad peccata commissa, primo contristat Deum: sicuti cum moritur infans patri, magis eum contristat sua morte, quam recreavit sua nativitate. Unde S. Gregorius, lib. I. ep. XVI. inquit: «Sicut gradientem per devia, denuo carpentem recte tramitem, tota Dominus aviditate complectitur; ita demum de deserente cognitam veritatis viam, majori mœrore, quam gaudio, quod de convertente lætatus fuerat, contristatur.» Porro quia infans non moritur culpa sua, nec aberrans a recto tramite culpa sua, ideo non tam iracundiam, quam commiserationem meretur. At qui post veniam iterum delinquit, iracundiam Dei movet, quia sponte moritur, et via salutis ultro aberrat. Ideo de illo ait Deus per os Ecclesiast. c. XXVI. *In duobus contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi venit: vir bellator deficiens per inopiam, et vir sensatus contemptus, et qui transgreditur a justitia ad peccatum: Deus paravit eum ad romphæam, id est, ad supplicium æternum, ut volunt Jansen. et Dionys. Carthusian. Romphæa enim bis acuta visa egredi ex ore judicis, Apoc. I. Ratio: quia facile relabi et sæpius, signum est aliquod reprobationis: sicut sæpe relabi in morbum, signum vicinæ mor-*

tis. Sic vitia incorrigibilia securi excindenda: caligæ multoties resartæ, tandem suturam non recipiunt, nec tenent, ideoque abjiciuntur.

Deinde, eum quodammodo irridet et contemnit, dum toties fidem illi datam fallit, quod non auderet facere viro cordato et potenti. Imo talis secundum S. Chrysostomum conculcat Filium Dei: «Quomodo conculcat quisquam Filium Dei, inquit, homil. XXVI. in epist. ad Hebr. quando qui particeps est cum ipso in mysteriis, peccatum committit, nonne illum conculcat? Nonne illum contemnit? Sicut enim quæ conculcamus, nullius momenti pendimus: sic et qui peccant, Christum nullius momenti existimant.» Sic ille. Tales autem, ait apost. ad Hebr. X. graviora mererisupplia, quam qui irritam faciunt legem Moysis: *Sed nolite errare, inquit apostolus, Deus non irridetur, ad Gal. VI. multo minus conculcatur. Ipse verius in interitu illorum ridebit, Prov. I.*

Vertunt isti dorsum Domino Deo, juxta id Jerem. II. *Vertunt ad me tergum et non faciem.* Vertet iisdem aliquando dorsum Dominus, uti minatur eis Jerem. XVIII. *Dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* O si exacte penetrarem, quid sibi velint ista, quam nobis attenderemus ne in peccata relaberemur? Quid enim romphæa illa nisi longus æternitatis ensis, animam et corpus feriens, utpote bis acutus? Quid est risus Dei super reprobos, nisi exultatio de eorum supplicio et extrema eorum confusio? Quid est vertere illis dorsum et non faciem, quam inexorablem et lapideum fore Deum peccatoribus et damnatis, ita ut in æternum non modo non conspectum sui beatificum eis præbeat, sed ne aspectu quidem vel momentaneo eos dignetur? Hac cogitatione si assidue armarem, non difficulter a relapsu pedem nostrum servarem: *Quis mihi hoc tribuat, inquit Job, c. XXIV. ut in inferno protegas me? Sicine in inferno, o Job, est aliqua protectio? Omnino: si nimirum per considerationem descendamus sæpe viventes in infernum, pensantes quid sit: Dorsum et non faciem vertam illis, hoc enim pacto fiet ut a relapsu protegatur.*

CONCIO III.

QUÆ DAMNA CONSEQUANTUR RELAPSOS SEU RECIDIVOS.

I. Mittentur foras.— II. Arescent.— III. Colligentur.— IV. In gnem mittentur.— V. Ardent.

THEMA.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Joan. XV.

Magna quidem res est potentum amicitia, periculosa tamen, quia quo majus bonum est principi adhaerere per amicitiam, tanto majus periculum ab eodem culpa sua discedere. Utrumque indicat Dominus in hodierno evangelio. Primum, cum ait: *Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit eum (Pater meus) ut fructum plus afferat: secundum, cum ait: Si quis in me non manserit mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent. Itaque ligna vitis, ait S. Augustinus in hoc evangelium, tract. LXXXI. in Joan. Tanto sunt contemptibilia, si in vite non manserint, quanto gloriosiora si manserint.* Cæterum verba hæc Dominus locutus est, cum ab ultima cœna surrexisset, stans adhuc in cœnaculo, quasi monituros eos, qui Judæ instar post acceptam s. eucharistiæ gratiam denuo relabuntur et produnt Christum, ut videant quid agant. Sumus nos elapso paschali tempore, omnes (ut sperare licet) Christi corpori per sacram communionem velut palmitem quidam inserti, et amici ejus intimi, imo unum quoddammodo cum ipso facti. Sed væ nobis si in ipso non manserimus, et a tanto nostro amico recesserimus. Audimus enim in hodierno evangelio horrenda fulmina, et tonitrua in eos detonantia, qui in dimissa scelera recidunt. Quæ ut corda nostra salutari pavore impleant, distinctius audiemus.

I. Recidivi: *Mittentur foras sicut palmes, id est, a Deo ejusque domo et paterna cura abjicientur, ita ut eorum vel exiguam vel denique etiam nullam, omnino curam gerat amplius Deus, subtrahendo illis auxilia supernaturalia, specialia et efficaciam. Justorum animæ in manu Dei sunt, et velut palmitem trunco inserti, ab ipso vitam, influxum, robur, flores et fructum habent. Ubi vero se ab eo separant, merentur abjici, omni influxu gratiæ destitui; ad eum utique modum, quo æger aliquis filius, qui opera medici a patre vocati sæpius curatus, contra ejus præscripta iterum noxia comedit ac bibit, denuoque infirmatur, deseritur tandem a patre, jubente ne deinceps medicus advocetur, atque ita filius mori sinitur. Contigit hoc Babyioni, a qua ut incurabili revocavit Deus an-*

gelos suos, medicos illius, Jerem. LI. ubi dicunt *Curavimus Babylonem et non est sanata: derelinquamus eam.* Idem evenit Sauli, qui quoniam mandatum Dei iterato transgressus erat et Samuelem medicum sibi a Deo datum non audierat, projectus est a Deo, ejusque protectione et adjutorio destitutus: ita ut eum Samuel non corripere amplius, imo etiam lugere prohiberetur, I. Reg. XVI. dicente Deo: *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum.* Quam abjectionem præcessoris sui metuens David orabat: *Ne projicias me a facie tua, Psal. L.* Fit enim interdum (quod multi doctores tradunt) ut qui sæpius relabuntur in graviora scelera, tandem a Deo deserantur, et sibi relinquuntur juxta id Psal. LXXX. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Cujusmodi existimare licet eos, qui annuatim quidem aut sæpius expiantur sacra confessione, interim vero nihilo meliores facti eadem peccata perpetrant, quibus proinde a Deo nulli mittuntur medici, tribulationes, morbi, correptores, concionatores, confessarii prudentes, etc. Neque in hoc injuria ipsis fit, cum ipsi prius toties abjiciant Dei gratiam sibi oblatam et datam. Hinc enim Samuel ad Saulem dixit, I. Reg. XV. *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus.* Quomodo non abjiciunt sermonem Domini recidivi, qui in confessione toties audierunt: *Vade et amplius noli peccare: quique Christum post communionem adeoque etiam Spiritum s. e cordibus suis toties abjiciunt.*

II. *Arescent:* dum sibi ipsis, depravatæ suæ naturæ et propriæ voluntati relictis paulo post deficient, et semper in pejus ruent, ac tandem in profundum abripiuntur. Quemadmodum enim ramus ab arbore præcisus, et soli expositus cito arescit, et durus ac inflexibilis fit qui prius mollis et flexiliterat, ac licet aqua interdum affusa revirescere videatur, nequaquam tamen durat: ita enim recidivi, quia humore gratiæ destituti, et a Christo præcisi, tametsi interdum sacramentorum usu reviviscere videantur, revera tamen semper ad interitum tendunt. Quis nescit febricitatem si a medico desertus propriæ voluntati relinquatur, semper ægriorem fieri? Et si accidat eum convalescere, iterum tamen immoderate vivere, iterumque resurgere; quis dubitat eum interim semper debilitari magis et periculosius laborare? Sunt sane quam plurimi instar quorundam qui nixi pharmacis, audacius se ingurgitant, eo quod una potionem medelam sibi promittant, cum tamen interim non advertant talibus purgationibus stomachum magis ac magis debilitari ad instar aliqujus linteaminis, quod quidem toties nitorem recuperat, quoties lotionem subit, interim tamen

semper obsoletum et fragile redditur. Ut enim medicina et lotio non restaurat totum vigorem ægro et linteo: ita etiam sacramentorum usus non restituit omnimode pristinam sanitatem, quia non auferit habitus malos, quos tu recidendo semper auges. Non mirum si in autumno arborum fructus et folia decidant, ipsæque quasi aridæ per hiemem maneant, quia sol ab eis longius recedit; ita nec mirum: *Si quis in sordibus est, sordescat adhuc*, et magis magisque arescat, quia Christus sol longius recessit per specialem suum gratiæ influxum, quemadmodum dixit Phariseis obduratis: *Ego vado et in peccato vestro moriemini*, Joan. XXVIII. Hoc idem est, quod Deus olim vineæ suæ, synagogæ, minatus est, Isaia V. *Diruam maceriam ejus* (id est, angelorum præsidium) *et erit in conculcationem. Non putabitur* (tribulationibus, correctionibus, castigationibus) *et non fodietur* (meditatione novissimorum, exemplis, etc.) *et ascendent vepres et spinæ* (id est, vitia invalescent) *et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem* (piarum exhortationum, divinarum inspirationum, sacramentorum perceptionem). Merito autem hoc evenit, quia ipsi prius a Christo recedunt per voluntatem. Merito deseritur, qui de navi in mare prosilit: aut æger, qui expulso medico sibi ipsi vult mederi, aut medicinam omnem respuit.

III. *Colligent a dæmonibus* quia ab eis, a quibus transfugerunt relapsi arctius ligantur, et cautius servantur, ne rursum elabantur. Civitas quæ aliquando principi suo rebellavit, recepta exarmatur, et arctiori jugo adstringitur, ne in posterum rebellare possit: ita etiam fur in carcere primo parum sedulo custoditur: ubi tamen elapsus est, et denuo in carcerem reductus, pluribus catenis ligatur et omnes viæ evadendi ei præcluduntur. Similiter si tu semel e dæmonis captivitate fugeris, ridere eum poteris: sed si iterum redeas, ipse te ridebit, et si primo te negligenter custodivit, postea diligentius custodiet, si prius una catena te vinxit, postea duas vel tres addet, omnes quoque occasiones evadendi auferet: si confiteri volueris, varie te impedit, si conciones audire, alio mentem tuam avertet: si piorum societate et consiliis uti, affia tibi negotia facesset. Et hoc est quod Luc. XI. Dominus dixit: *Dum immundus spiritus exierit ab homine, tunc vadit, et assumit plures alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant tibi, et fructus novissima hominis illius peiora prioribus*. De hujusmodi homine videtur posse dici, quod dicitur de Achab rege, III. Reg. XXI. scilicet venumdatum esse, ut faciat malum. Utenim Achab sua levitate, et peccandi pronitate, vendidit se quodammodo diabolo, ita

ut jam non sui juris sed diaboli esse videretur, a quo illudi et seduci pro dæmonis arbitrio, modo *per uxorem, modo per pseudopphetas* posset, et in quævis scelera præcipitari; ita qui se toties dæmoni addicit, toties et tam facile in dimissa peccata recidit, annon dicemus eum venumdatum esse diabolo? Alii qui raro cadunt et fortuito non permittuntur pleno dæmonis dominio, sed facile redimuntur, non ita qui in eadem vitia frequenter relabuntur. Filius ob fructum prima vice incarceratus a patre forsitan redimitur, et redimendus ei conceditur; sed si sæpius redierit, nec pater curabit eum redimere; nec si vellet, facile ei concederetur. Certe Romani milites suos, qui sua culpa in potestatem hostium venerant, redimere neququam curarunt, imo nec permutare cum aliis captivis, ut refert Maiol. tom. III. canic. colloq. II. Quoniam igitur Deus injuriam faciet illis, qui in eadem vitia post tot redemptiones toties relabuntur, si eos demum in potestate dæmonum penitus relinquat? Ponamus enim prodigum illum postquam ad extremam miseriam reductus, ad patrem rediit et humanissime acceptus est, iterum ab eo discedere, et ab pristinam vitam redire ac denique in eandem miseriam incidere, in quam prius devenerat culpa sua, posteaque iterum ad patrem suum redire, num putatis eum denuo a patre acceptandum et osculo accipiendum? Ego haud existimo: in nos enim si quis eodem modo iterum, vel tertio delinquant post datam aliquoties veniam, eadem a nobis facile non impetrat: *Et in bello non licet bis peccare*, ut dixit Limachus centurio militi veniam petenti, apud Plutarch. in Lacon. Quanto minus igitur venia dignus, qui post tot venias, eadem peccata repetit? Exemplum de Gomachario comite refert S. Gregorius Turonensis, de gloria martyrum, l. I. c. LXXIX. qui Agathensis Ecclesiæ agrum usurparat, et cum in febrim incidisset, et ad orationem Leonis episcopi, quem rogat ut pro se oraret, agro restituto convaluisset, rursum agrum abstulit, et insuper Leoni vindictam aliam interminanti minitabatur; igitur rursum correptus febrim cum frustra pro se orari precaretur, et duplum restitueret, animam exhalavit.

IV. *In ignem mittentur*: qui enim frequenter et mox in eadem vitia recidunt, incorrigibiles videntur, et millies lapsuri, si millies absolverentur: ideo ad nihil aliud apti videntur, quam ad ignem. Si ventos arbustum tibi in horto prostravit, quod tamen iterum et iterum erigas ac fulcias, mane vero semper relapsum invenias, nonne id excindis, et in ignem projicis? Similiter et reus, qui primo virgis cæditur, secundo rediens auribus truncatur, tertio suspenditur, licet non graviora

sed eadem crimina sæpius commiserit. Multa possunt hujus rei afferri exempla. Pharaon in primis, qui tot plagis exagitatus sæpius quidem promisit emendationem, semper tamen ad ingenium suum rediit, et promissa fefellit, tandem in mare rubrum demersus est. Audi quid dicat Deus populo Israelitico volenti reverti in Ægyptum, Num. XIV. *Usquequo detrahet mihi populus iste? Quous quonon credet mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia atque consumam*. Patet igitur recidivos, quia nullis emendantur correctionibus necessario ad supplicium reservari, et quia Dei misericordiam illustrare nolunt, in ejus justitiam cadere, ut saltem hanc illustrare cogantur: *Et quia mittentes manum ad aratrum et respicientes retro, apti non sunt ad regnum celorum*, Luc. XVII. sequitur aptum esse ad infernum debere. Vitis natura quidem sua ad fructum ferendum facta est, uti et omne lignum frugiferum, nequaquam vero ad ignem, uti ligna infrugifera: si tamen fructum nullum ferant, ignem fovere debent, ut saltem consumptione prosint, quæ sua prodesse conversatione noluerunt. Ita etiam licet homo a Deo pro cælo factus sit, ut sit ejus civis, non pro inferno ut ejus ignem foveat: qui tamen ad primum ineptus est, ad secundum applicandus est, ut in eo fulgeat Dei justitia, in quo misericordia locum non invenit. Unde August. in tract. XVIII. in Joan. egregie dixit: *Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in vile non est, in igne erit*. Quod si vero alicui abusus videatur hominem adhiberi ad nutrimentum ignis infernalis, ne miretur, quia etiam peccator abutitur Dei misericordia, toties recidendo post veniam concessam. Unde Jerem. c. XVIII. non dubitavit dicere Deo: *In tempore furoris tui abutere eis*, Hebræis videlicet ad ignominiam et excidium, quos creverat in gloriam et felicitatem, quia ipsa Jerusalem quasi meretrix abusa est tua patientia: sic Deus abutitur impiis, dum eos tradit in infernum cruciantes, quos creaverat cælo glorificandos. Ut in euni locum scribit Alphonsus a Castro.

V. *Ardent*, quia tales sæpenumero justo Dei judicio subita et inopinata morte pereunt. Videtur enim Dominus periculum enuntiasse in tempore presentis (cum alia omnia in futuro pronuntiasset) quod repente et inexpectato relabentes obruat, quia sæpe curati, sæpe moniti sunt, et sæpe emendationem promiserunt: unde si toties fidem fallant, subito, cum minus putabunt, ardebunt, antequam arsurus se existimabunt. Aperit hoc indicavit Dominus, cum Joan. V. paralytico illi, qui triginta octo annis infirmus erat, a se sanato dixit: *Jam amplius noli peccare, ne de-*

terius tibi aliqua contingat. Quid enim deterius ei contingere poterat, quia jam triginta octo annis paralyticus erat, et ad piscinam jacebat, nisi repentinus interitus, et supplicium extremum? « Quid est, deterius contingere, inquit Pineta, in c. XXII. Job quam subito et inopinato supplicio affici, cum minus expectatur non dato triginta annorum vel plurium spatium? Accedit illud Psal. LIV. Dolosi non dimidiabunt dies suos. » Qui autem magis dolosi quam recidivi, qui toties asserunt in confessione se dolore et odisse peccata, et promittunt emendationem, mox tamen peccata repetunt? Quis etiam sibi persuadeat istos vere proposuisse recedere a peccatis? Figuram hujus periculi exhibuit Semei, qui post peccatum suum impetrata a Salomone venia, habitare permissus est in Jerusalem; ita tamen ut civitatem non egrediretur, quam conditionem Semei libenter acceptavit dicens: *Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus*. Sed post tres annos insequitur Semei fugitivos servos suos, et egreditur civitatem, qui mox vocatus ad Salomonem audiit: *Nonne testificatus sum tibi per Dominum, et prædixi tibi: Quicumque die egressus fueris huc et illuc, scito te esse moriturum: et respondisti mihi; Bonus sermo, quem audivi, quare ergo non custodisti jusjurandum Domini?* Sicque mox coram se occidi eum fecit, III. Reg. II. Quilibet nostrum in proxima confessione promisit se deinceps non egressurum in posterum de limitibus justitiæ et mandatorum Dei, et hoc pacto veniam impetravimus peccatorum nostrorum a Deo. Sed heu! quam plurimi vix tres expectant dies (quid enim annos dicam?) et mox egrediuntur scriptum sibi scamnum. Non putatis igitur merito expositos esse vindictæ divinæ recidivos semper et in omni loco? Annon ex vi promissionis suæ ipsi in se quodammodo sententiam pronuntiarunt? Annon ipso facto non expectato alio processu reos se constituunt. Simile exemplum historiæ Semei recenset Thomas Cantipratensis. l. II c. XL. de quodam hujus farinae viro, qui tandem coram confessario divinam sibi vindictam imprecatus est, si denuo relaberetur. Et quid actum? In feriis paschalibus iterum relapsus, mox horrendum clamare cepit: *Vindicta Dei super me*; et ita dira morte periit. Non requiritur quidem a nobis, ut nos obligemus expresso juramento: requiritur tamen ut firmiter proponamus, atque etiam promittamus præterita peccata vitare; quia ut S. Gregorius, hom. XXXIV. in evangelia ait: *Pœnitentiam agere est perpetrata mala plangere, plangenda non perpetrare*. Tacite igitur saltem vindictam Dei in nos vocamus, si fidem fallamus, et ad dimissa peccata redeamus. Hanc enim ob causam ait Du-

randus episcopus, in rationali de feriis rogationum, l. VI. c. G. II Romanos tempore S. Gregorii Magni tam sava peste mulctatos (ad quam arcendam processio instituta est a Gregorio) ut sola sternutatione et oscitatione homines repente morerentur ingenti numero, quia post peractam in paschate pœnitentiam mox ad pristina studia, ludos, fornicationes, commessiones rediissent. Isti sine dubio non sunt imprecati sibi hanc vindictam, si reciderent, et tamen eam experti sunt, quia nimirum: *Deus non irridetur*, ad Gal. VI. promittere autem ipsi emendationem sæpius, nec præstare, Deum irridere est. *Memores estote uxoris Loth*, ait Dominus, Luc. XVII. quæ contra præceptum angeli retrospecti mox in statuum versa est salis, ut condiret mentem nostram. Denique, verbo illo *ardet*, istum et commensuratum recidivorum indicitur supplicium: quia enim ipsi æstuebant peccandi desideriis, et ardebant igne concupiscentiæ, merito ardent in inferno. Et quia semper æstuebant talibus desideriis, semper etiam ardent. Hoc enim indicat præsentis temporis verbum *ardet*: uti enim præsens tempus de Deo enuntiatur, uti Joan. VIII. *Antequam Abraham fieret ego sum*, ob ejus æternitatem: ita similiter recte dicitur de damnatis *ardent*: quia semper ardebunt. Speciali vero titulo competit hoc relapsis. Nam si heri interrogasses ejusmodi homines ante confessionem, quæso, quid facit ille? Responsum fuisset: *Scortatur, inebriatur, blasphematur, etc.* si hodie post confessionem: id ipsum respondebitur; si cras interrogas, idem audies; si post confessiones decem, idem dicitur; si post triginta idem responsum habebis. Æquum igitur est, ut similiter de ipso dicatur in inferno: Quid facit post centum annos? *Ardet*. Quid post mille? *Ardet*. Quid post centum millia? *Ardet*. Quid in æternum? *Ardet*. Exemplum scribit S. Gregorius, l. IV. dialogorum, c. LIV. de tinctore quodam, qui sepultus in templo S. Laurentii, noctu e sepulcro clamavit: *Ardeo, ardeo*, cumque sepulcrum inspicerent, vestes ejus viderunt, et corpus non invenerunt.

Caveamus igitur dilectissimi, ardorem vitiorum, ne incidamus in ardorem ignium æternorum.

CONCIO IV.

CUR VOLUERIT CHRISTUS ECCLESIAM MARTYRUM SANGUINE RIGARE.

I. Ad confirmandam fidem. — II. Ad amplificandam Christi gloriam. — III. Ad fortitudinem militum Christi ostendendam. — IV. Ad cælum ornandum. — V. Ad honorandos ipsos martyres. — VI. Ad excitandos alios.

THEMA.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. XV.

Sanctus Augustinus super hunc evangelii locum, tract. LXXX. in Joannem scribit: « Iste locus evangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus vitem, et discipulos suos palmites secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus. » Unde ex sententia illius, vitis illa Ecclesiam significat, cujus quidem truncus Christus est, palmites vero fideles. Qua in re illud mirandum venit, quamobrem cœlestis agricola vitam istam, quæ ab initio sanguine Christi plantata est, postmodum rigare etiam sanguine tot martyrum voluerit? Cum enim absque hoc tam difficili medio propagare Ecclesiam suam Deus potuisset, et sola verbi sui prædicatione mundum convertere; quomodo ad unam Jonæ vocem Ninivem convertit, et præterea super ejusdem caput hederam æstuante sole, absque pluvia crescere facit, ut Ecclesia ipsius absque nova sanguinis pluvia extenderet palmites suos usque ad orbis terminos? Ad istam questionem, quia non caret fructu, respondebimus in præsentiarum.

I. Voluit hoc Deus, ut fides confirmaretur. Sic Hieronymus ad Hedibiam, q. XII. « Triumphus, inquit, Dei est passio martyrum, et pro Christi nomine cruoris effusio, et inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, et subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata et divitiis studens ac secreta confessio est, sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus et Dei, apostolorumque victoria. » Sic ille. Imprimis enim mortem terribilium omnium terribilissimum esse constat quam omnia animantia naturaliter fugiunt et horrent, imprimis vero homo, qui illius sensum exacte percipit. Et hanc tamen innumerabiles pro Christi nomine per exquisitissima tormenta diu continuata fertiter subire viri ac feminae: non robusti tantum, sed et qui teneræ erant ætatis, juvenes ac puellæ; non

plebeii modo sed et nobilissimi et eruditissimi quique: idque læto et hilari animo, ita ut alii gratias agerent pro lata in se mortis sententia, alii carnifices oscularentur, alii nummos eis numerari juberent, alii ultro se proderent, alii dolerent, cum dimitterentur et vita donarentur, alii plectendos comitarentur, et ad constantiam hortarentur, etc. Hæc igitur videntes alii quo modo non infideles ad fidem amplectendam, fideles vero ad eam retinendam promoveri debuerunt? Si enim fides hæc a Deo non esset et divina, si hic digitus Dei non fuisset quomodo tot, tales, tanta mortis discrimina tam hilariter adiissent? Existimabant quidem tyranni cessaturos Christianos a fidei suæ prædicatione, cum tormenta in medium proferenda essent, quemadmodum Paschasius præfectus Luciae virgini laudes fidei christianæ celebranti dixit: *Cessabunt verba, cum ventum erit ad verbera.* Sed frustra. Quo enim magis torquebantur, eo magis in fide confirmabantur; uti et S. Lucia quæ Paschasio respondit: *Dei servis verba deesse non possunt, quibus a Christo Domino dictum est: Cum steteritis ante reges et præsidēs nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus sanctus, qui loquitur in vobis.* Nisi ventum esset ad verbera, non adeo eluceret fides. Quare uti ædificia diu duratura vino calci admixto extruuntur: sic Ecclesia, nunquam expugnanda, martyrum sanguine extrui debuit. Itaque dum fidei causa in tot militibus tam severe a tot academiis quodammodo examinata fuit, et semper invicta et constantis reperta, quis explicet, quanta hinc accessio christianæ reipubl. facta sit? Merito itaque apostolus dixit, II. Cor. IV. *Mors in nobis operatur, vita autem in vobis*: quasi dicat: Mors nostra est vita vestra; dum enim nos pro fide patimur et occidimur, interius vos in fide statis et erigimini. Et Tertullianus apolog. ult. *Semen est sanguis Christianorum*; quia dum grana singula terram cadunt per martyrium, eadem postea, sed multiplicata resurgunt: et S. Cyprianus martyr, de laude martyrii: *Si quoties, inquit, vitis abscinditur, erumpentibus pampinis melius uva vestitur.* Neenon Theodoret. serm. IX. de Græcarum affectionum curatione: *Martyrum interfectores, inquit, similes sunt his, qui flammam quidem extinguere petunt, oleum pro aqua instillantes, ardentiorum illam efficiunt.*

II. Ut gloriam suam amplificaret. Licet enim omnes creaturæ, singulæ in suo gradu creatorem suum glorificent, juxta id Psalm. *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmiter*: nihil tamen adeo fini huic deservit ac martyrum fortitudo et constantia. Nam si inani-

mes creaturæ gloriam Dei sui ostendunt, naturale hoc illis est, nulla in eis resistentia. *Stellæ vocatæ sunt*, inquit Baruch, c. III. *et dixerunt: A Isumus et Lucerni: et cum jucunditate, qui fecit illas*, angeli etiam boni tametsi strenuos se exhibuerunt, dum Michaelem secuti, Deo suo adhæserunt, et Lucifero restiterunt, id tamen factum est in instanti, et parum aut nihil difficultatis habuit. At vero ss. martyres in mortali et sensibili carne, per omnes animi vires et corporis sensus exquisitissimis doloribus exagitati et tentati sunt, ut a Deo suo recederent, nec tamen ab eo vel latum unguem defecerunt aut separari poterunt. Hoc est quod allegat David coram Deo, Psal. XVI. *igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Hoc est quod Ecclesia de Sancto Laurentio prædicat: *In craticula te Deum non negavi, et ad ignem applicatus te Dominum Jesum Christum confessus sum.* Hæc enim passio martyrum, testimonium erat de Dei bonitate, veritate, divitiis, fidelitate erga servos suos, etc. longe efficacius et præstantius, quam quod ore fertur: et longe luculentius loquebantur martyres linguas exsectis Dei gloriam, quam alii illæsis; adeo ut in hoc ipsos etiam angelos altissimos superarint. Illi enim verbis et obsequiis, martyres vero vulneribus, et morte sua testimonium Deo dederunt, quod nimirum tantus Dominus sit, ut nihil non pro ipsius gloria, etiam gratias, sustinere oporteat. Unde ipsi per antonomasiam martyres, id est, testes vocantur, quia non verbo tantum, sed et opere ipso efficacissimum Deo testimonium dederunt, velut S. Genes, qui postquam virgis directus esset, et caro ejus uncis ferreis sulcata, accensis quoque facibus adusta, sua in confessione fortissime perseverans exclamavit: « Non est alius rex quam Christus, pro quo etiam milies mori mihi constitutum est: hunc mihi nec ab ore nec a corde auferre poteritis. » Qua confessione quid præclarior ad Dei gloriam proferri poterat? « O vocem gloriosam, ait S. Basil. qua aer, qui illam excepit, fuit sanctificatus, quam angeli audientes exultarunt, diaboli cum suis copiis ulularunt, quam Deus suis digitis in cælo scripsit. »

III. Ut militum suorum fortitudinem mundo ostenderet, et hinc appareret, quid possit Dei gratia. Sic enim apostolus, I. Cor. IV. de se sui que similibus martyribus morti destinatis ait *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus*: alludens ad illos martyres, qui Romæ et alibi caveis inclusi spectante populo, bestiis obiciebantur, a tyrannis quidem ut laniarentur; a Deo vero, ut eorum fortitudo et gratiæ divinæ potentia in ipsis spectaretur. Hujus rei figura vi-